


Jam cecini quondam Fluvios montesque virentes
Commendant Urbis noſtrae qui munera grata,
Acceſſere alia his Patris quae voce ſoluta *a*)
Exarata, novo Gnati ſermone canuntur.
In Montis radice ad amoeni murmura Nicri
Scena fuit noſtris exoptatiſſima ocellis;
Ordine concinno diſpoſita cuncta nitebant,
Certabatque ſimul Naturae luſus & artis
Optimus, ac Oculos cunctos rapiebat & aures;

10. Sexus amandus erat ſparſus *b*) ceu vere novello
In pratis ſurgunt flores herbaeque virentes.
Spectatum veniens ſpectatur amabilis Ordo
Spectantum, mira ac oculis ſpectacula praebet,
Multi homines tanquam ſylvana ex arbore pendent

Fructus, ex ſaxis multi lapſumque minantur.
O mirum viſu! praecordia gaudia captant
Ardor & aequalis cunctos regit impetus idem,
Exornata via eſt ſtrata atque ſedilia pulchro
Conſpectu mulcent animos Formaeque videntes.

20. In medio conſtructa fuit pretioſa ara ſancta
In qua ſub terram poſt condita ſigna jacebant,
Actûs faſtorum digni Monumenta futura.
Principis effigies THEODORI ac ELISABETHÆ,
Conflata argento ex, Inſcriptio Stannea, Vinum
Album tumque rubrum lapſi, qui effluxerat, anni,
Cum pane & nummis currentibus ante ſacratis
Temporis eſt Index ſimul additus Officialis
Nil reliquum; Populus confluxerat undique totus
Ardor inexſtictus rapit omnes Principis ora

30. Quò ſpectent, terrae quam preſſerat, oſcula figant
Apparet Orbis amor, Magnum ceu Sidus Olympi,
Omnibus inſtructis Princeps CAROLUS THEODORUS
Aulae Proceribus circumdatus atque Decano
Praefectoque Urbis, Populo, Turbaque ſagata,

Haecce

Haecce tubas inflans rauca aenea tympana pulſat
Aeris Campani pulſu vacuus ſonat aether,
Mons reboat, monti vallis reſpondet amice,
Laetitiae infandae Veſtigia ubique notantur.
Submiſſis verbis, flexis genibusque decentes

Ex ſolvit grates Civenſem qui regit orbem,
Excipit Antiſtes ſacer hunc ſermone Canoro
Adloquitur ſtantem CAROLUM ſacrisque peractis
Exponit laudes, queis antiquiſſima abundat
Sedes, quae merſa eſt, ſed non ſub merſa vigebit
Quaeque novo adventu Divini Principis ignes
Ex cinere aſſumit, flammasque reſuſcitat omnes
Per Nomen Numcnque ſuum ſacrat Ipſe ſuperbam c)
Portam, ſtructura Princeps ſpecieque novella
Mirandam, externos Oculos merito allicientem.

Dirigit hanc molem Pigagius optimus Ille
Exſtructor, famam colligit inde novam,
Artis enim inſigne eſt, Romanusque ordo ſtruendi

Exprimitur, pulchris ſculptis mixtisque figuris;
Imponit lapidem CAROLUS fundumque ſubintrat
Inter Concentus ſuaves Plauſusque Coronae
Obſtruit immorans, varia inſerit ac Monumenta
Actûs, quem ſeries annorum nulla delebit.
Malleoloque premit digitis loca tecta ſacratis
Perfectum exemplum CAROLINAE poſtea Portae.

60. Ad Nicrum exſtructa & laetiſſima moenia amoenum
Perſpectat toto Princeps Populo acclamante,
Millenis Patrem Votis Patriae comitante
Ipſa favet Coeli tempeſtas, omnia laeta
Omnia adorandi THEODORI Encomia vulgant
Verba refert aether quae percipit ac iteratis
VIVAT ſtridoſus Nicrus ſua murmura miſcet.
Optandum Votis faveat Clementia nobis
Coeli per Patriae Solem luſtremur ut omnes,
Sic Myrtilletum priſco gaudebit honore,

70. Sic ſua fama novas antiqua receperit alas
Priſtina ſic Major natu ſua jura tenebit. *d*)
Nec Minor ipſa Soror nimium Caput cfferet alta
Ad Rhenum Nicrumque ſimul CAROLUS THEODORUS
VIVAT & ex aequo fraternum exaequet amorem.

Haec cecinit lingua craſſa impaſto ſimul ore
Quique coronatus fuit haud altusque ſagina. *e*)

A. J. W. Miegius, Conſil. Palat.

NOTAE.

a) COLLOQUIO fundationis modum & Actores, PARNASSO locum & ſpectatores recenſens atque adumbrans.

b) In Monte Parnaſſo totus Apollini ſeſe praeſentabat Muſarum & Gratiarum Chorus, quarum una alterâ nobilior, habilior, comtior atque venuſtior; Venuſtiſſima tamen Portae Fundoque proxima,

Sal

Sal aufer à cibis, ſalesque à ſcriptis, quod coquis quod ſcribis ἀνόητον erit & inſulſum.

Neque ſalſum neque ſuave poteſt eſſe quicquam
ubi amor non admiſcetur
Fel quod amarum eſt, id mel faciet, hominem
ex triſti lepidum & lenem.
Plaut. in Caſſin. Act. II. Sc. 3.

c) Porta ſuperna reliquis omnibus ſuperior. πύλη Ὠραία *Porta ſpecioſa*, h. e. in ſenſu linguae Turcicae Reſidentia, quam Janitzari à Janua dicti cuſtodiunt. Vid. Hübners kurze Fragen, aus der Politiſchen Hiſtoria. P. I. pag. 633. 641.

d) Vid. Das Geſpräch zweyer um einen Geliebten eyfernden Schweſtern, Heidelberg und Mannheim um CAROLUM THEODORUM.

e) Sive ſaginatus. Vid. Colloq. Paternum in fine.